



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 107. Dicentes: prophetiza nobis Christe quis est qui te percußit. v. 68.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

fervare potest in nominibus, crucibus, imaginibus aliisque omnibus Dei mysteriis & Ecclesie memorialibus. Sed relictis his perditionis filiis concludo dicendo pro mea parte: Ego sum qui te toties & millies peccatis meis, ô Domine, contudi, in faciem spui & defœdavi, ô benignissime Iesu cuius miserationes super omnia opera tua sunt, aperi manum tuam & reverbera me intus & interius, ut in æternum parcas, ut agnoscam, quem ita percusserim, & defœdatam pœnitentiam agendo millies, & millies pectus meum cum dolore, uti publicanus, contundendo.

§. 106. *Alii autem palmas in faciem eius dederunt. v. 67.*

Nec satis erat percutere Christum colaphis, & totum corpus eius onerare verberibus & pugnis, sed, quod virum honestum magis cruciat, eum quoque palmis in facie exceperunt, quod idem est, ac uti mendacem tractare, & nullius frugi hominem habere: Eheu quonam redactus es? mi Iesu! facies tua benedicta, quam Angeli & cœlices desiderant omni momento aspiceret, & pro sua felicitate intueri nunc spuitis, nunc colaphis, nunc palmis oneratur & defœdatur! Et, qui es ipsa veritas & iustitia, iam habetis & tractaris pro vilissimo mendace & impostore falso propheta &c. certe vix credere aulim purum hominem tantum ignominiam & vilitatem in se perferre posse sine contradictione & vindicta, unde vel ex hac patientia agnosco, quod Deus sis & ipsa perfectio.

O Superba anima mea, intuere nunc Deum tuum, Redemptorem tuum largitorem bonorum omnium, quanta ignominia afficitur pro te. En quas tu meruisti plagas, ille modo suffert. Indignaris forte Iudæis, & non consideras quantum tu quotidie per gravia & innumerabilia tua peccata hanc faciem Dei sanctissimam & immaculatam defœdas, colaphis cœdis & palmis, quasi mendacem tractas? mendax non est ille nec fuit, sed tu, tuas fallacias, tuos dolos ille luit. In illo apparet quid in te debuerit aut debeat fieri secundum iustitiam. Ora igitur eius clementiam pro venia, & cum illo te humilia in omnibus perferendo Dei misericordem circa te Iustitiam.

§. 107. *Dicentes: propheta nunc Christus quis est qui te percussit. v. 68.*

Præter innumeras alias vexationes & tormenta opprobriaque etiam illudebant ei, quasi se prophetam esse dixisset falsò; unde velantes faciem Iesu, iterum petulanter percutiunt colaphizant, tridunt, trahunt, & scurriliter experientiam captant, an sit propheta, dicentes: *Propheta nunc Christus quis est qui te percussit*, quasi dicerent: tu alias dixisti te prophetam, nunc ostende te prophetam esse. Nomina percussores tuos, & credemus tibi, alias te uti mendacem, & seductorem populi tractabimus.

Sic

Sic plerumque mundani & perversi homines tractant & illudunt sanctos Dei & viros pietate conspicuos, qui vel jure vel exemplo suo hortantur illos ad virtutis & mortificationis studium. nam cachinnantes aiunt hos esse hypocritas & fallaces, simplices ac stultos, nullius scientiæ, viros rerum imperitos, non capere rationes statûs, esse scholares &c.

Longe, obsecro, sit à me Domine tanta petulantia, malitia & curiositas, ut velim indagare vitam & mores aliorum animo deridendi, aut calumniandi, sed potius, ut virtutes eorum imitari possim, vitia declinare, me salvare.

§. 108. *Petrus vero sedebat foris in atrio. v. 69.*

Hic Evangelista revertitur ad Simonem Petrum exponens, quid egerit interea dum Christus in domo Caiphæ ita male tractatus fuit, nimirum manserit in aula Caiphæ, & sederit in atrio foris cum militibus scilicet, dycolis & perversis expectans quid de Christo ageretur, audiens interea de Christo per milites multa scandalosa verba, impia, obscena, iuramenta, blasphemias, detractiones, irrisiones: quæ omnia ei non ad salutem proficere, sed potius ad ruinam & timorem, quippe qui non solum abiit ac stetit in via peccatorum, sed & sedit in cathedris malorum, nec fugit occasionem peccatorum. qui si mansisset cum Maria Matre & aliis discipulis congregatis, utique non incidisset in laqueos peccandi.

O quantum nocet mala societas! Petrus fortis ille athleta, imo petra bona & simplici intentione te Domine, sequebatur & expectabat foris in atrio summi Sacerdotis, attamen inter milites sedens infirmatur, in constantia promissionis suæ & professionis. Quid ausim de me polliceri, nisi maiorem casum, si non fugiam malam societatem. Tu mihi, Jesu, da gratiam si fors inventus fuero inter malos, ut cum iis nunquam sedeam aut diutius hæream, sed fugiam in tempore, vel stem in timore ob periculum, ne laqueis ipsorum captus, tui obliviscar, & peccare incipiam.

§. 109. *Et accessit ad eum una ancilla. v. 69.*

Ut scilicet iste infirmior sexui etiam in Dominica passione, suâ personâ non careret, in qua omnium hominum personæ agebantur, uti etiam omnes redimebantur, quoad sufficientiam. ut ait Ambrosius. nemo enim non ex virili sexu cooperabatur ad Christi passionem, principes, privati, sacerdotes, laici, amici, inimici, pagani, liberi, servi, iuvenes, senes, sexus tantum fœmineus defuisse hætenus videbatur, at nunc comparet etiam iste & non sine causa ad Petrum accessit, ut scilicet, per eum tumens præsumptionis oriturum esset gravius periculum ostenderetur. dum enim sedet cler-

cus